Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1043

Quelle:
Copyright:

correptus. ad extremum usque perductus. animam quam a ſuo conditore acceperat. integram atque inleſam reſtituit. **T***unc eiusdem loci accole — eius in honore conſtruentes baſilicam. ſacrum corpuſculum illius condiderunt.* Mox ad ejus miracula vertitur Narrator; praemittit tamen: *Capreę inſulae quę ſunt contra neapolim ſite. a capreo qui in regionibus his potens fuit. uocabula ſumpſere. In his ſequenti tempore telonam martis filium. cuius monumentum oſtendunt. regnaſſe dicunt. Cuius filius ebalus nomine. non contentus patris imperio. egreſſus in continenti latio imperauit. Hunc uirgilius nutritum a fluminis ipſius nimpha dicit. quod in his locis hoc eſt iuxta neapolim currit et ſebethus dicitur. Dicitur et alio nomine rubeolus.* De *Tiberio* nihil. Miracula porro ſunt de Juvene Puellam a ſe vitiatam negante cremato, de Janua Templi reſtituta pro ea, quam *Saraceni* abſtulerant, de Captivis catenarum nexu ſolutis, de Inſula contra *Saracenos* protecta, ut *Hiſtoria* ſuperiore, adfirmato iterum anno 991. et Piratarum duce *Boalim* adpellato. Narrat demum, *Conſtantio* duos fuiſſe cariſſimos diſcipulos *Sergium* et *Georgium*, eumque praecepiſſe, ut poſt obitum eodem tumulo unus a dextra, alter a ſiniſtra ejus conderetur; fuiſſe vero Hominem *Beneventanum* nobilem et divitem, qui venerit *Capreas*, ut corpus *Conſtantii* furtim ſublegeret. Atque hic ulteriora rurſus excidere, ut adeo *priori* Hiſtoriae initium, *poſteriori* finis deſit; uberiora tamen hinc colligas, quam quidem Scriptoribus *ſupra citt.* nota fuiſſe videntur.

VII. *fol.* nunc 157. ob Membranas deperditas ingreſſu mutilo Narratio *de Imagine Chriſti* Servatoris a *Graecis* dicti τῦ Αντιφωνητῦ, quam *Theodorus* quidam mercator infelix *Abrahamo Hebraeo* pecuniae mutuo acceptae vadem dedit, rebusque proſpere recuperatis Monachus factus eſt, *Hebraeo* illo pariter converſo, quin ſacerdotio initiato. Ex ingreſſu pauca ſuperſunt. Narratio ipſa incipit: *Poſt aſcenſionem ſaluatoris noſtri ihesu chriſti* &c. Et propior: *Fuit quidam uir temporibus heraclij pijſſimi imperatoris* &c. Plura non addo; extat enim e *Cod.* Regio *Pariſ.* edita graece et lat. a *Franc. Combefiſio* cum *Hiſt. Haereſis Monothelit.* et aliis Opuſculis, *Pariſ.* 1648. p. 611. f. At Verſio noſtra ſaltem XII. Seculi eſt.

VIII. *fol.* 164. p. 2. *Incipit uita uel obitum Beati iohannis qui cognominatur caliuita. Celebratur autem et legitur quinta decima die intrante menſe Januario.* Initium: *Tirannica quodam modo eſt cauſa genitorum amor et obligatio naturę indiſſolubilis* &c. Finis: *Et factum eſt ita ut arbores ſequerentur fructum. In gloria dei et patris* &c. In *Actis SS.* T. I. *Jan.* p. 1031. e graeco Codice *Vatic.* verſa parum variat

IX. *fol.* 172. *Incipit miraculum beati georgij martiris.* Initium: *Fratres kariſſimi. intentis auribus audite*